

SCRIPTA

Numéro Scripta : 264

Autre(s) référence(s) : Tabuteau 275 / ARTEM 2663

Auteur(s) : Robert II le Pieux, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Fécamp, La Trinité (abbaye)

Genre d'acte : diplôme

Authenticité : douteux

Datation : 1006, 30 mai

Lieu d'émission : Fécamp

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Robert II, roi de France, confirme les donations et privilèges accordés à l'abbaye de Fécamp par les ducs de Normandie Richard Ier et Richard II.

Tableau de la tradition

Original

A. Collection Musée du Palais Benedictine, Fécamp, Inv. 1/1 (Engel 2).

Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instr. Eccl. Rot., n° IV, col. 8-9.

Texte établi d'après a

In nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis Robertus divina favente clementia rex. Cum inter discretos gradus ecclesiastici ordinis et mundani persona sacerdotalis et regia principalem obtineant dignitatem, tanto in regendo corpore totius ecclesiæ debent cautiores fieri, et in providendis utilitatibus humiliari, quanto se conspiciunt omnibus præferri, illius exemplo ad hoc provocati qui utriusque personæ ministerio in se suscepto discipulis ait : Non veni ministrari, sed ministrare. Ergo quoniam inter numerum illorum computamur qui regali censentur nomine, si in omnibus hujus nominis officium devote nequimus adimplere, nimis impium est omnia inefficaciter præterire ; unde Fiscannensis quam orationis gratia visitavimus justam ecclesiæ causam qua interpellamur, et benigne suscipimus et grater adimplemus. Notum sit igitur præsentibus et futuris, quod pia sumus petitione dilectissimi fidelis nostri Ricardi comitis exorati, ut res quas huic loco in honore Sanctæ Trinitatis Consubstantialis Patris et Filii et Spiritus sancti consecrato tradidit, et per chartæ testamentum firmavit, nos quoque nostro præcepto corroborarem. Cujus preces delectabiliter auditas, sicut justum est, suscepimus tam libenter implendas. Pii enim prioris Ricardi intentio ad hoc hunc locum construxit, ut monachorum ordo ibi sub regula S. Benedicti viveret, et Dei laudibus inserviret. Quod desiderium, quum morte præveniente adimplere non potuit, pius filius Ricardus æquivocus implere procuravit. Et divina providentia repertum domnum abbatem Willelmum hujus monasticæ religionis, quæ ibi cernitur, præfecit magistrum et rectorem, sub quo crescente multitudine monachorum, hic comes Ricardus junior temporale bonum augere studuit in comitatu Calciacensi in ipsa villa Fiscanno tertiam partem hospitum quos colonos vocant cum terra arabili quæ ad ipsam tertiam partem pertinet. Silvæ unam partem a

publica strata usque ad mare terminatam. Cui etiam dedit in Rothomagensi civitate ecclesiam sancti Paterni cum uno manso ubi sita est, quod clauditur ex uno latere muro civitatis, ex tribus partibus cingitur via publica. Hæc et omnia quæ data sunt ab ipso comite, vel a patre illius, vel nostra largitione collata sunt, vel a quocumque fideli huic loco deinceps fuerint conferenda, sancimus, corroboramus, justeque decernentes permittimus secundum proprii rectoris arbitrium regulari more cuncta esse disponenda sine contradictione, impeditio vel oppressio cujuscumque regis, ducis, pontificis, vicecomitis, magnæ parvæque personæ, quacumque dignitate, officio, sive ordine in ecclesiasticis, mundanisve rebus occupatæ, perfunctæ, seu quavis occasione alicujus ministerii præfectæ. In omnibus ergo et per omnia sit ab omni subjectionis impedimento hujus loci congregatio Christo sub suo militans gubernatore adeo libera, ut quæque cujuscumque sibi congruentis negotii necessaria in ecclesiasticis vel mundanis ordinationibus seu dispositionibus, ei prospicere, expetere, atque a quocumque vel ubicumque acquirere, ipsisque libere sine cujuscumque contradictione uti omni liceat tempore. In abbatis autem electione, ordinatione, sive consecratione, illa apud istos consuetudo sequatur quæ hactenus in Cluniaco cœnobiorum servata est illustrissimo, unde fons sanctæ monasticæ religionis per multa jam longe lateque derivatus loca, ad hunc usque divino profluxit principio. Nichil quippe horum quibus inibi Dei possit impediri servitus subreptori relinquimus avaro. Dum quæque ad continendam quietis securitatem cuicumque monastico nostris a prædecessoribus regali concessa autoritate. Nos in honore Sanctæ Trinitatis dedicato, his etiam si pleniter non notantur scriptis, huic sacro Fiscannensi libentissime annuimus loco. Cujus ut sanctæ quæ ibi, Domini opitulante gratia, digne modo religionis viget observatio non deficiat, sed magis ac magis ad profectum tam nostræ quam omnium fidelium proficiat animarum, sicut nulli ordini, dignitati, potestati, hereditariæque successioni, nostræ quin immo Majestati super idem jus relinquere decrevimus dominationis. Ita ut nulli, si, quod absit, habitatores ejus a tam bene jam cœpto rectitudinis aliquando deviaverint proposito, in pristinum illud reformandi potestatem denegamus, hinc digne a Christo mercedem promereri qui voluerit recompensationis. Et ut nostræ auctoritas confirmationis inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, annuli ac monogrammati nostri signo illam decrevimus insignire. Quam si quis iram Dei non metuens, regalem auctoritatem, terribilemque episcoporum parvipendens contestationem ausu nefario infringere præsumperit, publica compellatur vi auri optimi libras persolvere centum, totidemque probati talenta argenti, medietatemque gazæ regiæ, medietatemque ipsi sancto loco cui vim nisus fuerit inferre impio quoque ipse frustratus conamine. Actum Fiscanni anno Dominicæ Incarnationis M VI.to Indictione IIII.a die tertio ante Kalendas Junias v feria, Dominicæ Ascensionis gaudio celeberrima, feliciter.